



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Concilivm Romanvm IV. Qvo Athanasivs Episcopvs Simvl & princeps
Neapolitanae vrbis, propter foedus cum Saracenis initum excommunicatus
est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

mei, sacrosancti pontifices, ecclesie summi Dei nostri prae-
 fules, & vos omnes nostri fideles, primates & subprima-
 tes, confisus de Dei gratia & auxilio, per sanctorum eius
 suffragia, quia vestris iussionibus faueo, precor vos & ob-
 secro, vt per ipsum, & cum ipso, tam piis ad ipsum inter-
 uentibus, in tanto subeundo labore meam necessitatem
 & humilitatem iuuetis, quam etiam humanis adminiculis
 & auxiliis pro posse suffragari mihi certetis. Quod si cui
 displicet, & aliter animo tenet, quaso patenter edicat, &
 se nobiscum in nullo decipiat. Simulque precor per carita-
 tem, qua feruetis, vt communi fauentes vtilitati, tridua-
 nis solenniter precibus Dominum Deum nostrum cum
 plebibus vobis commissis exoretis, vt propter peccata
 mea, vel leuitatem meam, vos, aut me ad deceptionem
 populi sui nequaquam errare permittat, sed suam ex hoc
 voluntatem misericorditer ostendat.

NOTA IACOBI SIRMONDI
 SOCIETATIS IESV.

^a *Concilium Mantalense.*] Ex verbis Paradini, qui hanc Synodum
 primus in lucem dedit, subscriptiones concinnauimus, seriem secuti
 episcoporum quos interfuisse narrat. Confirmant porro episcopi
 quod modo adstruebamus; nam Ludouicum Calui filium regem
 vocant, non imperatorem.

CONCILIVM ROMANVM IV.
 QVO ATHANASIVS EPISCOPVS SIMVL
 & princeps Neapolitanae vrbis, propter foedus cum
 Saracenis in initum excommunicatus est.

NOTA.

Anastasius
 Neapoli-
 tanus epi-
 scopus &
 princeps.

^a *Concilium.*] Athanasius Neapolitanus episcopus simul & prin-
 cept olim a Ioanne papa epistola 66. 161. & 162. plurimum lauda-
 tus, in transuersum actus, & in arcum prauum conuersus scelestissimus
 euasit. De ipso enim Leo Ostiensis libro 5. capite 42. ista habet:
*Idem vero Athanasius princeps illi, nempe Sergio, subrogatus, firmata
 cum Saracenis pace, Beneuentum, Capuam, Salernum, Romanque de-
 populari cum eis cepit, multaque tunc monasteria & ecclesia cum villis &
 vrribus impiorum incendio conflagrarunt.* Haec Leo. Post foedus cum
 Saracenis contractum Ioannes papa per epistolam 251. & 256. eum
 admonuit, vt foedus cum barbaris in initum dissolueret, & nisi pareret,
 anathematis sententia feriendus esset. Imo quod magis est, ipse Ioan-

ANNO
CHRISTI
881.

nes papa hac de causa se Neapolim contulit: sed frustra. Quare dum in Urbem rediisset, hac Synodo ibidem congregata, anathematis sententiam in eum tulit, eamque per epistolam circularem 270. episcopis circumpositis omnibus insinuauit. Cumque excommunicatus Athanasius pro absolutione non semel institisset, pontifex ab eo sapius delusus nullam ipsi fidem adhibendam esse putauit, nisi primum Sarcenis ab ipso necatis vel captis, poenitentiae certa signa edidisset. Quod ut illi constaret, Marinum episcopum cum epistola 294. ad eundem Athanasium scripta huius rei causa ablegauit. Vide Baronium anno 881. numero 1. & sequentibus.

Marinus
ad Athana-
sium ablegatus.

CONCILIVM APVD S. MACRAM.

SYNODVS QVÆ FVIT ACTA APVD sanctam Macram, in loco qui dicitur ' Finibus Rhenensis parochiæ, tempore Ludouici regis, filii Ludouici Caroli filii, die 1v. Nonas Apriles, anno Christi DCCCXXCI. Ioannis papæ VIII. anno 1x. Ludouici eiusdem regis anno XI.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|----------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------|
| I. <i>Quod distincta sint potestas regia & auctoritas pontificum.</i> | steriorum. |
| II. <i>Increpatio torporis & negligentia sacerdotum, ex sancto Gregorio.</i> | V. <i>De rapinis compescendis, & pace restituenda.</i> |
| III. <i>De honore, cultuque Dei & ecclesiarum.</i> | VI. <i>Admonitio ad regem, & ministros reipublicæ.</i> |
| IV. <i>De suscipienda cura monasteriorum.</i> | VII. <i>De prestanda per poenitentiam emendatione.</i> |
| | VIII. <i>Ad regem, ut bonos diligat consiliarios.</i> |

PRÆFATIO.

DIVERSARVM prouinciarum episcopi, quorum nomina tenentur subter adscripta, qui ante nequiui- mus, diuersis occupationibus, tam Paganorum infestationibus, quam prauorum Christianorum infestationibus præpediti, nunc anno incarnationis dominicæ DCCCLXXI. indictione XIV. 1v. Nonas Apriles, maxima necessitate compulsi, apud martyrium sanctæ Macræ, in loco qui dicitur Finibus Rhenensis parochiæ, in nomine Christi conuenimus. Ab omnibus, qui iuste & pie in communione catholicæ ecclesiæ, quæ Christi est corpus, viuere volunt,